Fragmentarium

uinis addideret ut culpa ex atrociori discussa fieret
[illegible]us perpetrata. Vnde nos quoque humani generis rami ex hac
adhuc radice amaritudinis trahimus. ut cum de uitio suo quisque
arguitur. sub defensionis uerba quasi sub quaedam se arboris folia ab
scondit. et uelut ad quaedam excusationis suae opaca secreta faci
em conditoris refugit. dum non uult cognosci quod fecit. In qua uide
licet occultatione non se domino sed dominum sibi abscondit. Agit quippe ne
omnia uidentem uideat. non autem ut uideatur. Hoc contra cuique pec
catori iam exordium illuminationis est humilitas confessionis. quia
sibimet ipsi iam parcere renuit. qui malum non erubescit fateri
quod fecit. et qui defendendo accusari potuit. accusando se ce
rtissime defendit. Vnde et mortuo lazaro quem mole magno pre
mebat. nequaquam dicitur reuiuisce. sed ueni foras. Ex qua scilicet resurrec
tione quae gesta in illius est corpore. signatur qualiter nos resuscitemur
in corde. cum uidelicet mortuo dicitur ueni foras. ut nimirum homo
in peccato suo mortuus. et per molem malae consuetudinis iam se
pultus. quia intra conscientiam suam absconditus iacet per nequitiam. a se
ipso foras exeat per confessionem. Mortuo itaque ueni foras dicitur. ut
ab excusatione atque occultatione peccati ad accusationem suam
ore proprio exire prouocetur. Vnde dauid propheta ab illa tanti morte
facinoris reuiuiscens. ad uocem nathan quasi foras exiit cum per n[illegible]
correptus quod fecerat accusauit.
Sunt nonnulli qui non solum nequaquam deflent quae faciunt
[illegible] praedicare et defendere non desistunt. Et nimirum cum
[illegible] culpa geminatur. Contra quod recte per quendam c[illegible]

BIBL. UNIVERS. LIPS.

License: cc-by – Leipzig, Universitätsbibliothek, Fragm. lat. 84, 1r – Gregorius Magnus, Moralia in Iob; Paterius, Expositio veteris ac novi testamenti (excerpta) (https://fragmentarium.ms/view/page/F-6k7h/193/2771)